



**R. P. Fr. Ioannis Poncii, Corcagia-Hiberni, Ordinis Ff.
Minorvm, Sacræ Theologiæ Lectoris Ivbilati, Olim in
Collegio Romano S. Isidori Primarij Professoris;
Philosophiæ Ad Mentem Scoti Cvrsvs Integer**

Poncius, Joannes

Lugduni, 1659

Qvæst. 1. Qvodnam sit definitum in definitione generis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95688](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95688)

Et similiter patet, quod quædam ex his generibus sint corporalia, quædam spiritalia, quædam substantialia, quædam accidentalia: & per hoc patet ad secundam difficultatem. Ad tertiam etiam quæstionem, quæ quærebat utrum vniuersalia illa essent in sensibilibus, id est in singularibus, an extra; patet quod sunt in illis, quatenus identificantur illis; extra verò illa, quatenus distinguuntur formaliter ab illis.

DISPUTATIO IV.

De Genere.

PORPHIRIUS cap. i. suæ introductionis agit de genere variasque eius acceptiones tradit ibidem, quas, ut nostro instituto minus necessarias omitto, acturus solummodo de genere logico, cuius duas descriptiones dedit Porphyrius. Prima est: *Genus est id sub quo collocatur species*: Secunda est: *Genus est quod prædicatur in quid de pluribus specie differentiis*. Ex his autem definitionibus prima, nisi explicetur, ita ut faciat eandem sensum cum secunda, non satis exacte ostendit naturam generis; ut vniuersale: quare de secunda definitione in hac disputatione agemus.

Due definitiones generis traditæ à Porphyrio.

Quid genus generalissimum.

Quid subalternum.

Porro aduertendum est, Porphyrium diuississe genus prædicabile de pluribus specie distinctis in generalissimum, quod est illud quod non habet supra se aliud genus, ut substantia prædicamentalis, ut sic, de qua nihil, prædicamentale saltem, potest prædicari per modum generis; & in subalternum, quod est illud quod habet supra se aliud genus, ut animal, de quo prædicari potest tanquam genus, sub quo continetur, viuens, corpus &c. Hæc tamen diuisio est diuisio generis primo intentionaliter accepti, non secundò intentionaliter accepti, quia quodcumque genus secundò intentionaliter acceptum habet supra se aliud quod possit prædicari de ipso in quid, nimirum vniuersale ut sic. Intellego autem hic per genus primò intentionaliter, seu, ut alij dicunt, materialiter, illam rem secundum se, quæ potest denominari vniuersalis; per genus autem secundò intentionaliter, seu formaliter, intellego illam rem, prout vniuersalis formaliter, verbi gratia animal secundum se est genus materialiter, seu primo intentionaliter, quia est res quæ potest denominari vniuersalis, cum tamen essentialiter non sit vniuersalis: animal vero, ut prædicabile formaliter est genus formaliter, seu secundò intentionaliter, quia ut sic dicit ipsam genericitatem quæ formaliter constituit genus in esse generis: & hoc est aduertendum non solum de genere, sed de reliquis etiam vniuersalibus, quæ etiam primo intentionaliter, & secundò intentionaliter capi solent.

QVÆSTIO I.

Quodnam sit definitum in definitione generis.

Quandoquidem ad cognoscendum, utrum definitio præmissa generis sit bona, necessarium sit scire, quodnam sit definitum, cuius natura illa definitione explicatur, præmittenda erat hæc quæstio, quæ propterea difficilis redditur, quia illa vox *genus*, quæ substituitur loco definiti, est vox concreta, sicut & ceteræ quatuor voces, quibus significantur reliqua quatuor vniuersalia, & sicut etiam ipsum vniuersale, ut sic, ut supra diximus, est concretum quid. Illud autem omnibus concretis conuenit ut dicant duo, vnum pro formali, pro materiali alterum; unde quando definiuntur, potest dubitari quidnam per se per eorum definitiones definitur, an illud quod materialiter & connotatiue dicunt, vel illud quod formaliter & per se significant, vel utrumque simul. Quæ difficultas quamvis sit communis omnibus omnino concretis, quando definiuntur; tamen examinabimus ipsam particulariter de genere, ita nihilo-

minus, ut ex resolutione data de genere vnusquisque facile percipere possit quid dicendum sit non solum de cæteris vniuersalibus, de quibus sine dubio est eadem ratio ac de genere; sed de omnibus omnino concretis. Itaque cum genus dicat naturam communem pluribus speciebus, & præterea prædicabilitatem de illis, quæritur hic an ipsamet natura communis, an prædicabilitas, an vtraque simul hic definiatur.

Qua in re plures possunt esse opiniones. Prima, quod ipsa natura generica, quam dicit genus materialiter, esset definitum per se in hac definitione, v.g. natura animalis, natura coloris, natura viuents, natura substantiæ spiritualis finitæ ut sic, & similia.

Secunda, quod ipsa secunda intentio genericitatis, quam dicit genus formaliter, & à qua formaliter habet natura prædicari posse de multis, per se definiatur hac definitione.

Tertia, quod neque vna neque altera, sed vtraque simul, scilicet & natura & genericitas ex æquo hic per se definiatur. Pro his autem tribus sententiis, quia communiter negantur, non inuenio vllius momenti auctores, quorum auctoritate fulciantur.

Quarta sententia est, naturam communem hic definiri, non tamen secundum se præcise, ut tenuit prima sententia, sed prout connotat genericitatem. Ita Toletus hic q. 1. Rub. q. 2. Caberius tr. 3. Vniu. Auerſa q. 10. Amicus q. 1. dub. 2. qui vniuersaliter tenent concreta omnia, præsertim accidentalia, qualia putant esse quinque prædicabilia, per se primo dicere substratum formæ accidentalis, & connotare illam formam, v.g. album per se primo dicere rem, quæ afficitur albedine, & connotare ipsam albedinem; vnde consequenter existimant quod quoties definiuntur huiusmodi concreta, definitum per se definitionis sit ipsum substratum, quatenus tamen connotat formam.

Quinta denique sententia huic directe opposita est, definitum per se huius definitionis esse ipsam genericitatem seu formam, à qua natura habet esse prædicabile de multis, non tamen secundum se & in abstracto, prout tenuit secunda sententia: sed in concreto & ut connotat ipsam naturam; quod similiter tenent de omnibus concretis accidentalibus. Sic Scotus q. 14. Vniu. cum suis omnibus, D. Thomas in 1. d. 18. qu. 1. art. 2. cum Caietano hic, Didaco à I. E. S. V. disput. 6. quæst. 1. Gallego controuersia 12. Masio hic sect. 1. quæst. 3. Complutensibus disput. 5. quæst. 3. Ioanne à S. Thoma quæst. 7. artic. 2. & aliis.

CONCLUSIO I.

3. Ipsamet natura communis, quæ denominatur genus, nec secundum se, nec secundum vlla prædicata prima intentionis definitur per se hac definitione. Hæc est communissima contra primam sententiam. Probatum à Complutensibus, Ioanne à sancto Thoma, ac aliquibus etiam Scotistis, quia alias definitio conueniret definito accidentaliter, quia accidentale est animali prædicari de pluribus, cum id ipsi conueniat per operationem intellectus: sed prædicari de pluribus speciebus est definitio generis; ergo si definiretur natura communis, animal verbi gratia, per illam definitionem, definitio conueniret accidentaliter definito.

Natura communis non definitur per se in definitione generis.

Contra hoc fundamentum facit, quod licet prædicari de pluribus actualiter, conueniat accidentaliter animali, & cuiusque naturæ genericæ primò intencionaliter sumptæ, tamè prædicari aptitudinaliter de pluribus speciebus non conuenit ipsi accidentaliter: sed per prædicari de pluribus speciebus positum in definitione generis non intelligitur prædicari actualiter sed aptitudinaliter, ut patet ex dictis supra de vniuersali ut sic; ergo quauis definitur natura generica, v.g. animal per hanc definitionem non sequeretur quod definitio conueniret definito accidentaliter aut contingenter. Maior pro secunda parte, in qua sola potest esse difficultas huius discursus, patet, quia animal & quælibet natura talis tam est per se necessario prædicabile, quam est per se necessario intelligibile, aut quam homo est necessario risibilis.

Possit ad hoc responderi cum fundamento, quo ad probandam hanc sententiam vtuntur Scotistae, nimirum quod verum sit predicabilitatem remotam competere necessarium naturae genericae, v.g. animalis, sed predicabilitatem proximam non competere ipsi sic, cum habeatur haec predicabilitas proxima ab actu comparatiuo intellectus, quo se consideratur natura illa, vt inexistens pluribus speciebus, sine qua consideratione natura illa non posset villo modo predicari de pluribus speciebus, & consequenter non esset proxime predicabilis de illis.

Contra tamen, quia difficile est ostendere quod per predicabilitatem positam in definitione generis, ceterorumque vniuersaliu intelligatur proxima predicabilitas, vt supra insinuaui disputatione praecedenti quae. 6. n. 72.

4. *Probatur secundo a quodam Scotista, quia si definiretur natura communis, animal v.g. aut color, sequeretur plura absurda; primum, quod inferiora illarum naturarum, nimirum homo & albedo, essent genera, quia si naturae illae genericae essent necessarium predicabiles de multis speciebus, etiam illa inferiora essent sic predicabilia, & consequenter genera, quia quidquid conuenit per se & necessarium superiori, debet conuenire inferiori. Secundum, quod non solum naturae communes darentur a parte rei, sed etiam genericitas, quae est predicabilitas de multis speciebus, quod etiam est absurdum.*

Sed contra, quia, vt dictum est disputatione praecedenti qu. 7. num. 101, non sequeretur primum illud absurdum, quamuis enim illa predicabilitas, cum sit proprietas naturae identificata ipsi, reperiatur simul cum natura superiori inclusa in inferiori; tamen non potest dici predicari de inferiori, sicut nec de Patre aeterno potest predicari, quod sit communicabilis Filio, licet includat essentiam diuinam ipsi communicabilem, vt ibi dictum est.

Quod confirmatur contra eundem Scotistam, quia ipse non negabit quin predicabilitas remota conueniat naturae genericae animalis necessarium, & tamen negabit quod illa predicabilitas possit predicari de natura humana contenta sub ipsa; ergo non omne, quod necessarium potest predicari de superiori, poterit etiam predicari de inferiori.

Ad secundum absurdum responderi posset, quod illa predicabilitas daretur a parte rei, sicut datur a parte rei natura communis, & consequenter concederetur genericitatem dari a parte rei, si genericitas in illa consistat; & negaretur id esse villo modo absurdum, quod probari deberet.

5. *Amicus tr. 5. q. 1. dub. 5. art. 3. probat illam sententiam pluribus rationibus; quarum Prima est, quia partes definitionis non explicant ea, quae naturae conueniunt secundum se. Sed hoc ab aduersariis facile negaretur; dicerent enim predicari de pluribus speciebus tam per se conuenire animali, quam risibile competit homini. Secunda est quod cognitio rerum quoad se pertineat ad alias scientias, non ad Logicam; vnde cum Logica sola agit de genere, natura per se non debet esse genus, quia alias aliae scientiae deberent agere de genere. Haec ratio non sufficit, quia aliae scientiae agunt de rebus secundum se, & illa praedicata, quae conueniunt ipsis primò intentionaliter, hoc est quae conueniunt ipsis non in ordine ad operationes comparatiuas intellectus; predicabilitas autem licet conueniat naturae genericae ex se necessarium, tamen respicit talem operationem; est enim aptitudo quam habet natura ad terminandam praedicationem de pluribus, quae praedicatio est actus comparatiuus intellectus.*

Tertiatio est, quod natura ex se non praedicatur de pluribus, ad hanc responsam est supra, dum diximus quod praedicatio aptitudinalis, hoc est aptitudo ad praedicandum seu predicabilitas ex se necessario conueniat naturae.

6. *Quarta ratio est, quod definitio concreti non conueniat per se subiecto, vt definitio albi non conuenit per se parieti, qui est albus; sed genus est concretum, & natura communis est subiectum eius; ergo definitio ipsius non conuenit per se illi subiecto.*

Contra, quia licet definitio concreti accidentalis non conueniat per se, sed per accidens subiecto, sicut & ipsa forma, quam formaliter dicit, nimirum ipsa albedo, conuenit parieti accidentaliter, tamen definitio concreti, cuius forma non est accidens, sed potius praedicatum essentiale, seu proprietas, conuenit subiecto per se, in primo quidem modo dicendi; si forma sit essentialis subiecto, vt contingit in hoc concreto rationale, cuius definitio per se competit homini in primo modo dicendi, quia rationalitas est ipsi praedicatum essentiale; in secundo vero modo dicendi, si forma, quam formaliter dicit subiectum, si proprietas subiecti, vt contingit in hoc concreto risibile, quod per se in secundo modo dicendi dicitur de homine, quod est subiectum risibilitatis, & cui risibilitas est proprietas: ergo quandoquidem predicabilitas de pluribus speciebus sit proprietas naturae genericae, v.g. animalis, hoc concretum genus potest per se saltem secundo modo dicendi competere ipsi, & predicari de ipso. Alias duas rationes addit, quae ipsimet non videntur placere, & ex iis vltima concidit cum prima ratione Thomistarum, altera vero deo coincidit cum ea quam adducimus statim ex Scoto.

7. *Itaque Scotus q. 14. Vniu. probat hanc communem sententiam, quia nihil vnum potest abstrahi ab omnibus naturis, quae denominantur genera; sed si ipsa natura, quae denominatur genus, definiretur hac definitione, deberet aliquod vnum sic abstrahibile assignari, quod per se definiretur: ergo non definitur per se natura.*

Hac est optima ratio ex omnibus haecenus adductis. Sed aduersarij tamen respondere possent, si non possit aliqua natura abstrahi ab omnibus naturis genericis, tamen hanc definitionem non esse rigorosam definitionem: sed talem qualē ipsemet Scotus dat de indiuiduo primò intentionaliter sumpto, & talem qualem daret si quaeretur ab ipso, vt explicaret fundamentum secundae intentionis genericae, seu naturae genericas, vt sunt praedicabilia remote de pluribus differentibus specie. Vnde, haec probatio valet ex suppositione, quod genus hic definiretur definitione rigorosa, quae suppositio est satis communis; nec aliud voluit Scotus.

Possit ulterius probari illa sententia, quia licet illa predicabilitas remota sit proprietas naturae communis genericae, tamen hoc non sufficit, vt dicantur definiti hac definitione; quia non sufficit ad definiendam rem quod ponatur in eius definitione proprietas ipsius.

Sed contra, quia si hoc sit verum tum dici poterit hanc definitionem non esse proprie dictam, hoc est talem, in qua ponuntur praedicata essentialia definiti, sed esse solummodo definitionē minus rigorosam; hoc est descriptiuam, & talem, qualis est haec descriptio hominis: homo est animal risibile: nec est vlla ratio, vnde colligatur, quod haec definitio debeat esse rigorosa. Deinde posset etiam dici essentialis definitio, intelligendo per predicabilitatem, de pluribus speciebus, non formalem quae est proprietas naturae, quae dicitur genus, sed fundamentalem; nam certum est quod illud fundamentum sit praedicatum essentialē naturae, omnis enim proprietas habet pro fundamento aliquod praedicatum essentialē: nec certe haec explicatio debet videri mira, quandoquidem plurimae aliae definitiones datae per proprietates a Philosopho hoc modo explicantur tam a Thomistis quam a Scotistis, vt postea videbimus, & nemo negabit.

8. *Melius probatur hac conclusio, quia predicabilitas, nec est de essentia naturae communis primò intentionaliter considerata, nec proprietas eius, aut vllum accidens primae intentionis; ergo nec natura secundū se primò intentionaliter considerata, nec secundum vllum accidens primae intentionis definitur hac definitione, in qua tanquam definitio ponitur predicabilitas. Probatur antecedens, quia essentia animalis & proprietates omnes eius, ac accidentia primae intentionis saluantur in vnicuique indiuiduo, etiam si cetera indiuidua, ac species animalis essent impossibilia, & quia re vera predicabilitas illa dicit ordinem ad actum comparatiuum intellectus,*

Definitio
concreti
aliquando
conuenit
per se
subiecto.

tellectus, quo solo prædicari potest natura de pluribus; ergo est prædicatum secundæ intentionis, & consequenter definitio, in qua ponitur, non erit definitio naturæ, nec secundum se primò intentionaliter acceptæ, nec secundum prædicatum primæ intentionis conueniens ipsi.

Obiicitur: Illud hic definitur per se, quod per se prædicatur de pluribus differentibus specie: sed ipsa natura generica est, quæ sic prædicatur, non vero actus intellectus, nec aliquid accidens reale aut rationis adueniens naturæ illi per actum intellectus, aut per aliquid aliud; est enim ipsum animal, quod prædicatur de homine & bruto per se & essentialiter; verum enim est dicere, quod homo sit essentialiter animal, & brutum sit essentialiter animal, non autem est verum dicere, quod homo sit essentialiter secunda vlla intentio adueniens per intellectum, neque in abstracto, neque in concreto.

Confirmatur hoc, quia ipsemet *Porphyrus* explicans illud genus, quod dixerat à se definitum, posuit exemplum in natura reali communi, nimirum in animali dicens: ut animal prædicatur de homine & bruto.

9. Ad soluendam hanc difficultatem *Scotus* supra, & alij Doctores, qui tenent illam communem sententiam, distinguunt duplicem prædicabilitatem, vnam in actu signato, & alteram in actu exercito; illam dicunt significari per ly *prædicari*, hanc per ly *esse*. Quando dicitur quod aliquid prædicatur de alio in actu exercito, per hoc intelligitur quod illud, quod sic dicitur prædicari, posset dici de illo alio mediante copula *est*: unde quia animal potest dici de homine mediante copula *est*, dicendo: homo est animal; animal prædicatur de homine prædicatione exercita, & est sic de ipso prædicabile. Quando autem dicitur aliquid prædicari de aliquo in actu signato, non est sensus, quod possit dici de ipso mediante verbo *est*, unde licet dicatur, quod genus possit prædicari de pluribus speciebus, verbi gratia de homine & bruto, non tamen potest dici, quod homo sit genus. Intelligitur ergo per prædicationem signatam, quod illud, quod dicitur sic prædicari, sit ratio formalis propter quam aliquid aliud possit prædicari in actu exercito; unde quando dicitur, quod genus possit prædicari de pluribus speciebus, quandoquidem hoc non sit verum loquendo de prædicatione exercita, quia, ut dixi, non potest dici vere: homo est genus; debet intelligi de prædicatione signata; & sensus est quod secunda intentio generis, quæ aduenit animali, sit ratio formalis, cur possit prædicari animal de homine in quid prædicatione exercita dicendo: est essentialiter animal, & respondendo sic querenti quid est homo. Et iuxta hoc explicari debet illud quod dicit *Scotus* ibidem: nempe quod intentio generis prædicetur in quid de speciebus ita, ut in quid sit determinatio inherens, non vero ita ut sit determinatio inherens: quæ verba per se obscurissima sunt, nec satis apte mihi videntur explicari aut à *Sarnano*, aut à *Ioanne Anglico*: sed sensus est quod intentio secunda generis prædicetur in quid de speciebus, quatenus est ratio essentialis & formalis cur illud, cui inhaeret illa secunda intentio, nempe natura generica verbi gratia animal, possit prædicari de pluribus speciebus in quid; quod est idem dicere ac quod prædicetur in quid prædicatione signata, non vero quod ipsamet inhaereat essentialiter aut includatur in ipsismet speciebus, ita ut possit de ipsis prædicari in quid prædicatione exercita: quod breuiter ad intelligendum textum *Scoti*, non ad aliam finem adiungendum videbatur.

10. Itaque iuxta hanc doctrinam respondetur ad objectionem distinguendo maiorem: quod prædicatur prædicatione signata, conceditur; quod prædicatur prædicatione exercita, negatur, & similiter distinguitur minor: sed natura communis, & non intentio, est quæ prædicatur prædicatione exercita, conceditur: prædicatione signata, negatur minor & consequentia.

Ad confirmationem dicitur quod propterea exemplificauit *Porphyrus* genus per animal, non quod ipsum animal sit per se genus aut prædicetur quomodo

genus prædicatur; sed quod sit fundamentum genericitatis, & quod in eo exerceatur prædicatione signata genericitatis.

Dices contra hanc doctrinam & responsionem, quod licet possit admitti illa differentia inter prædicationem signatam & exercitam; & licet illud, quod prædicatur signate tantum de aliquo, non possit nec debeat dici de ipso mediante copula *est*, tamen nulla est ratio, unde colligatur, quod quando dicitur quod genus sit illud quod potest prædicari de pluribus, id debeat intelligi de prædicatione signata potius, quam de exercita, ergo distinctio prædicta non satisfacit obiectioni. Nec sufficit ad tollendam hanc difficultatem dicere, quod id colligatur ex ly *prædicatur*, quæ significat prædicationem signatam.

11. Quia ly *prædicatur* non solum significat prædicationem signatam; nam verum est dicere quod animal possit prædicari de homine, & hoc non est verum de prædicatione signata, sed potius de prædicatione exercita, ut est euidentius; ergo ly *prædicari* non solum significat prædicationem signatam, & consequenter ex eo quod dicitur genus prædicari, non sequitur quod debeat prædicari prædicatione signata potius quam exercita.

Confirmatur ulterius hæc replica, quia certum est posse defini, vel describi non solum illud, quod est prædicabile de multis prædicatione signata, sed etiam illud quod est prædicabile prædicatione exercita, ut est sic prædicabile: sed si hoc describeretur aut definiretur, descriptio eius non conueniret illi genericitati, quæ non est prædicabilis de multis specie differentibus prædicatione exercita, sed signata, sed potius conueniret ipsimet naturæ comuni, in qua subiectatur ista genericitas. Hoc autem supposito nulla est ratio, ob quæ colligatur, quod non definiatur in hac definitione illud, quod est prædicabile de pluribus speciebus prædicatione exercita, & consequenter nulla est ratio, cur dicatur quod ipsa natura generica non definiatur aut describatur hac definitione.

12. Respondetur negando antecedens, quia illud, quod prædicatur aut prædicari potest exercite, non est genus formaliter, alias genus formaliter prædicaretur exercite de speciebus; & sic verum esset dicere quod homo, de quo prædicatur animal, esset genus, quod est falsum; ergo prædicabilitas quæ conuenit illi, quod est genus formaliter, non est prædicabilitas exercita, sed signata.

Ad confirmationem dico posse quidem describi illud, quod est prædicabile prædicatione exercita, sed tamen nihil tale quæ tale præcise est genus per se formaliter loquendo propter rationem iam dictam, quia alias genus ut genus prædicaretur de homine, de quo prædicatur exercite animal.

Quod si etiam intelligeretur in definitione generis prædicabilitas exercita, ita ut illud sit genus formaliter, quod formaliter potest prædicari exercite, adhuc vera esset conclusio, quod scilicet ipsa natura, quæ prædicatur exercite, non esset genus formaliter & secundum se primò intentionaliter sumpta, aut secundum vllum prædicatum primæ intentionis competens ipsi, quia ipsa prædicabilitas exercita competens naturæ non conuenit ipsi secundum se primò intentionaliter sumptam, nec est prædicatum primæ intentionis, sed secundæ.

CONCLUSIO II.

13. Ipsa natura communis simul cum intentione secundæ, hoc est cum prædicabilitate siue proxima siue remota, non est definitum hac definitione, ita ut vtrumque ex æquo pariter explicetur, seu definiatur hac definitione. Hæc est etiam communis, & ratio est, tum quia vtrumque ex æquo facit vnum per accedens, quod secundum *Philosophum* & Doctores communiter nequit defini: tum & principaliter, quia vtrumque ex æquo nequit prædicari de pluribus speciebus, neque prædicatione exercita, neque prædicatione signata; non prædicatione exercita, quia non dicitur de homine quod sit animal prædicabile de multis speciebus; nec etiam prædicatione signata, quia animal non est ratio formalis cur aliquid prædicetur de homine.

Prædicari non significat semper prædicationem signatam.

Natura communis simul cum intentione secundæ, non definitur per se in definitione generis.

CONCLUSIO III.

Genericitas in abstracto non definitur genere. 14. *Ipsa genericitas seu pradicabilitas in abstracto non definitur hic. Probatur quia, ut patet ex terminis, illud quod definitur hic, est genus; sed genericitas non est genus, ergo genericitas non definitur hic.*

CONCLUSIO IV.

Definitur definitio generis in concreto. 15. *Definitum hic est secunda intentio in concreto, propter scilicet connotat naturam communem, qua in actu exercito est pradicabilis de pluribus speciebus. Hac est authorum quinta sententia contra reliquas sententias. Probatur primo auctoritate Philosophi cap. de substantia, ubi dicit album quod est concretum accidentale solum qualitate significare: hoc autem non est sic intelligendum, quasi nullo modo significaret subiectum qualitatis, cum alias non esset differentia inter album & albedinem, sed quod eam solum per se & formaliter significet, licet materialiter & in obliquo significet subiectum albedinis: ergo concretum accidentale per se primo significat formam, & consequenter genus per se primo significat genericitatem: sed quod per se primo significat genus est definitum per se huius definitionis: ergo genericitas est, quae per se primo hic definitur, in concreto tamen, & ut concernens naturam quam afficit.*

Duo alba ut alba non distinguuntur specie. *Probatur secundo ratione, quia si concreta huiusmodi per se primo & principaliter significarent subiectum, tum unum album ut album distingueretur specie ab alio albo ut album est, quod est absurdissimum. Probatur sequela, quia subiectum significatum per unum album potest esse distincta speciei a subiecto alterius albi, ut patet si unum album sit homo, & aliud paries: ergo tum distinguuntur specie secundum praedictam doctrinam. Probatur consequentia, tunc aliqua distinguuntur specie, quando quod principaliter includunt & dicunt, distinguitur specie: sed quod principaliter dicit hoc album, verbi gratia homo albus, etiam ut album, distinguitur specie ab eo, quod principaliter dicit aliud album, nempe paries albus: ergo unum album ut album distingueretur specie ab alio albo, ut alba sunt.*

Probatur tertio etiam ratione: quia, ut patet ex dictis, illud hic per se definitur quod est pradicabile in actu signato: sed certum est ipsam secundam intentionem, ut concernentem subiectum, esse sic pradicabilem, non vero ipsam naturam aut secundum se aut ut affectam secundam intentionem: ergo definitum hic non est natura ut affecta secunda intentione, sed potius secunda intentio, ut afficiens naturam.

16. *Obiicies: illud per se primo formaliter & directe significatur per concretum accidentale, quod in explicatione concreti ponitur in recto; & illud significatur connotative, & indirecte, quod in tali explicatione ponitur in obliquo; sed in explicationibus huiusmodi connotatum subiectum ponitur in recto, hoc est, in nominatio casu, & forma in obliquo hoc est in aliquo alio casu, nam si quis velit explicare album, dicit quod album sit habens albedinem; & quod lignum album, sit lignum habens albedinem, seu affectum albedine; ubi ipsum lignum ponitur in nominatio casu, & albedo in accusatio, vel ablativo: ergo huiusmodi concreta dicunt per se & directe subiectum formae, & indirecte, ac connotative ipsam formam; & consequenter genus per se directe dicit naturam, ac indirecte genericitatem: & consequenter ulterius definitum per se in definitione generis erit natura communis, ut affecta generitate.*

Respondeo negando maiorem, quoties subiectum ponitur in recto in tali explicatione; quod addo, quia si quis ita explicaret ut poneret formam in recto, ut si explicaret album dicendo quod esset albedo affixa seu inherens alicui subiecto, tum illud significaretur per se quod poneretur in recto seu nominatio, non tamen ex eo quod poneretur in nominatio, sed ex principiis nostrae conclusionis. Aduersarij autem, qui nihil aliud intelligunt per dicere formaliter & directe, quam sic dicere, ut in explicatione concreti debeat poni in nominatio casu, reducunt hanc difficultatem ad quaestio-

nem de nomine, cuius tamen ipsi peiorem partem habent; quia in significatione terminorum potius tenendum cum antiquis, quam cum recentioribus; nisi aliqua ratio specialis urgeat, qualem non assignant aduersarij.

Obiicies secundo: definitio debet convenire ut quod suo definito: sed definitio generis hic non convenit secundae intentioni etiam in concreto: ergo secunda intentio in concreto non est quae hic definitur per se.

Respondeo negando minorem, nam praedicari de pluribus praedicatione signata convenit generitati in concreto, sicut convenit ipsi generi, & hoc quidem ex natura ipsiusmet secundae intentionis sic acceptae; quidquid dicant Complutenses supra.

QUESTIO II.

An definitio Porphyriana Generis sit bona.

Definitio generis data à Porphyrio, quam hic examinamus, est illa quae dicitur quod genus sit quod pradicatur de pluribus specie differentibus in quid.

CONCLUSIO.

17. *Hac generis definitio est bona & essentialis per additamentum. Prima pars est communissima omnium interpretum hic contra Laurentium Vallam, qui negare videtur definitionem hanc esse bonam, quatenus putat genus nequaquam definiri aut describi posse, propter obiectiones inferius ponendas. Secunda pars est Doctoris qu. 14. vniuers. & D. Tb. de ente & essentia c. 4., quos sui sequuntur.*

Probatur prima pars quia illa definitio est bona, quae datur per genus & differentiam, seu per quam explicatur genus & differentia definiti sine superfluitate: sed ita sit in hac descriptione, ergo est bona. Probatur minor, quia per praedicari de pluribus (quod intelligendum est aptitudinaliter) significatur ratio generica, in qua convenit genus cum ceteris pradicabilibus, quae etiam sunt pradicabilia de pluribus tam bene quam genus; per ceteras autem particulas explicatur differentia ipsius, per quam differt ab aliis pradicabilibus de pluribus: nam dum dicitur quod illa plura, de quibus est pradicabile, sint distincta specie, determinatur à specie infima; & dum dicitur quod praedicetur in quid de illis pluribus, significatur differentia ipsius à differentia proprio, & accidente, quae non sunt pradicabilia in quid, sed in quale: ergo significatur in hac definitione genus & differentia generis. Quod autem nihil superfluum contineat, patet, quia nihil continet nisi quod significat genus, & differentiam: sed quod hoc significat non est superfluum, ergo nihil in hac definitione est superfluum, & consequenter à primo ad ultimum erit bona.

Secunda pars conclusionis patet, quia illa definitio est essentialis per additamentum, in qua ponitur genus & differentia rei, & aliquid aliud: sed hic ponitur genus & differentia generis nimirum pradicabilitas talis particularis, & aliquid aliud nimirum species illa distincta, quae sunt termini istius pradicabilitatis, & non sunt de essentia generis, ut patet, ergo haec est definitio essentialis per additamentum. Et si petas cur detur per additamentum, respondeo, quia alias non posset significari genus & differentia eius, neque enim potest quis explicare pradicabilitatem de pluribus speciebus, nisi ponendo in explicatione plures species, ut est manifestum.

18. *Quod si quaeras quid significetur per ly quod positum in hac definitione. Aliqui dicunt significari naturam communem; aliqui Vniuersalem ut sic; aliqui pradicabile. Sed quantum ad naturam communem existimo illam non significari per se per ly quod, sed potius vniuersalitate in concreto, quae sola potest mediante verbo esse praedicari de genere, non vero natura communis. Quantum ad alios duos modos, uterque est bonus, perinde enim est utrum dicatur ipsum vniuersale significari per ly quod, an vero pradicabile de multis, quae est eius definitio in concreto. Nec refert quod si intelligi posset pradicabile, tum sensus definitionis esset, quod genus esset pradicabile*

de